

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput XL. Quod deus cor nostrum desiderat.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

CAPUT XXXIX.

IN QUO ANIMA DOMINO VALEAT SIMILARI.

CUM cantaretur Missa : *Dicit Dominus : ego cogito cogitationes pacis, et non afflictionis* ¹, etc. dixit ad eam Dominus : « Si mihi carissima et simillima filia esse volueris, in his me verbis imitare. Sicut enim ego cogito cogitationes pacis, et non afflictionis, sic et tu semper studeas habere quietum cor et pacificas cogitationes, cum nullo contendens, sed patienter et humiliter cedens. Sicut etiam invocantes me exaudio, sic et tu exorabilem et benevolam te omnibus exhibeas. Studeas etiam educere captivitatem omnium ; hoc est, ut omnibus tribulatis et tentatis auxilium et solamen impendas. »

Pacifica
et exorabilis
anima.

CAPUT XL.

QUOD DEUS COR NOSTRUM DESIDERAT.

ITEM in Missa vidit Dominum in altari in specie aquilæ aureæ, et agnovit quod sicut aquila habet volatum altissimum, ita et visum profundissimum, scilicet ad cor humile. Et videbatur sibi aquilam illam habere rostrum curvum et linguam nimis dulcem. Per rostrum significabantur eloquia Domini, quæ per devotionem pungunt cor animæ ; per

Dominus
ut aquila
cor appetit.

1. Introitus in Dominica ultima post Pentecosten.

linguam vero, dulcedo figurabatur, quod sicut aquila semper quærit dulcissimum in præda, scilicet cor, ita Deus semper desiderat cor nostrum, ut illud in dulcedinem sibi offeramus.

CAPUT XLI.

QUALITER HOMO MEMORIAM SUAM EXERCEAT.

HÆC pia Virgo orabat aliquando Dominum, quatenus hoc donum sibi conferre dignaretur, ut sui memoria cordi ejus jugiter inhæreret. Et ecce ostendit ei Dominus Cor suum in similitudine cujusdam domus, per cujus januam anima illa, velut columba volitans, invenit in ea tritici acervum; et ait Dominus : « Columba, cum ad tritici acervum venerit, non eum totum deportat, sed eligit inde quod sibi magis placuerit : sic et tu facias. Cum verbum Dei audis vel legis, non omnia capere per intellectum poteris, sed tamen aliqua tibi colligas, in quibus memoriam tuam exerceas, cogitans apud te : Eia, quid nunc amator tuus in hac lectione loquitur tibi aut mandat ? »

Anima ut
columba e
divino Corde
grana
colligit.

Cum autem ipsa die in Missa audiret legi Evangelium : *Simile est regnum cælorum thesauro*, etc. (MATT. XIII. 44.) dixit ad Dominum : « Mi dulcissime instructor, quid in hoc Evangelio secundum præceptum tuum eligam ? » Cui Dominus ita respondit : « Quid est thesaurus ? Thesaurus est auri et argenti, et lapidum pretiosorum congeries. Per aurum vero amor, per argentum bona opera, per gemmas virtutes designantur. Et sicut argentum valde sonorum est metallum, ita bona opera in auribus meis dulcissimum reddunt sonum. Quisquis ergo tali intentione opera bona facit, ut cogitet :